

PA. ere, ne me spectes : mē ĩmpulsore haec non facit.

SE. omitte de te dicere. ego te, furcifer,

990 si vivo . . ! sed ĩstuc quidquid est primum expedi. 20

PA. is prō ĩllo eunuchō ad Thaidem hanc deductus est.

SE. pro eunuchō? *PA.* sic est. hunc pro moechno postea
comprehendere intus et constrinxere. *SE.* occidi.

PA. audaciam meretricum specta. *SE.* numquid est
995 aliud mali damnive quod non dixeris 25

relicuom? *PA.* tantumst. *SE.* cesso huc intro rumpere?—

PA. non dubiumst quin mi magnum ex hac re sit malum ;
nisi, quia necessu' fuit hoc facere, id gaudeo
propter me hisce aliquid esse eventurum mali.

1000 nam iamdiu aliquam causam quaerebat senex 30
quam ob rem insigne aliquid faceret ĩs : nunc repperit.

PYTHIAS PARMENO

vi

PY. Numquam edepol quicquam iamdiu quod mage vellem
evenire

mi evenit quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
mihi solae ridiculo fuit quae quid timeret scibam.

1005 *PA.* quid hōc autemst? *PY.* nunc id prodeo ut conveniam
Parmenonem.

sed ubi obsecro est? *PA.* me quaerit haec. *PY.* atque 5
eccum video : adibo.

PA. quid est, inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin?

PY. perii :

defessa iam sum misera te ridendo. *PA.* quid ita? *PY.*
rogitas?